



Nf. 59.5.







6 an 16 17

---

A R T E M  
H E B R A E O R V M  
C H A R A C T E R I S T I C A M

---

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

G V I L I E L M O H E N R I C O

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM

ANGARIAE WESTPHALIAE COMITE SAYNAE

ET WITGENSTEINII RELIQA

BENEVOLO CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

P R O L O C O

MORE MAIORVM IN EO RITE OBTINENDO

EXAMINAVIT

ET

EXAMINATAM SISTIT

M. IO. LEONH. RECKENBERGERVS

RATISPONENSIS

R E S P O N D E N T E

IO. CHRISTOPHORO CONTAG

RIESENBERGO-BORVSSO

PHILOS. ET THEOL. CVLTORE.

---

A. O. R. M DCC XXXIII. D.      S E P T E M B R I S .

---

IENAE LITERIS RITTERIANIS.

ARTI  
FEBRUARIUM  
CARASTIUM  
GALILEMO HENRICO  
MIOI TOI...  
IC...  
HENE BITHIS RITTERIAIS





כס

**Q**uodsi futura ex præteritis prouidere licet, quosdam  
methodo, quam nostra ætas in præceptis doctrinæ  
de accentibus tradendis vsque huc secuta est, offen-  
sum iri, iamiam prospicimus. Hæc enim metho-  
dus hodie, vt *allegorica*, a priori illa auctoris accentuum *plane*  
*diuersa, difficilis & nimis ingeniosa* traducitur, tantum non pror-  
sus reiicitur, & noua ars, quam dicunt *characteristicam*, inuen-  
ta videtur. Hinc asperioribus verbis CAPELLVS & eius asse-  
clæ, CLERICVS, VITRINGA, FRANKIUS, WEIMARVS, & verbo  
omnes, quotquot hanc sequuntur methodum, paucis, qui  
laudantur, exceptis, laceffuntur. De interitu sensus propter  
doctrinæ de accentibus Hebræorum ignorantiam, eiusque  
contemptu, nimium quantum conqueruntur, quasi nemo vn-  
quam solide doctrinam de accentibus calluisset. Qua de cau-  
sa nostrarum esse partium duximus, lectores, ac inprimis  
nostræ methodi amatores, (nam & illi suæ inuentionis ama-  
toribus scribunt, quod & nobis heic liceat,) præmonere, ne  
hisce lubricis inuentionibus perturbentur, ac his antiquio-  
ra fastidiant. Proinde non scribimus nouæ huius inuentionis  
cultoribus, nouimus enim, quod mirum in modum sua  
hac inuentione sibi blandiantur, & nescio quam orientalium  
scientiam affectent; sed illis, quibus præcepta accentuum,  
more apud nos hucusque recepto, mens est imbibere. Nam  
quemuis sua voluptas trahat, & ipsi sensu suo per nos abund-  
ent, sed docentes in academiis illi sine causa neutiquam  
perstringant, quibus tanti nondum sunt profectus, vt vel  
vnum ex illis hac in re prouocent. Ast quid non tentat ar-  
rogan-

A 2

rogantia? noua quærunt, antiqua naueant, eaque infectantur, quamuis ipsi ex meris colligant præsuppositis.

## §. II.

Duplici fine bono hæc Hebræorum *ars characteristica* prodidisse dicitur. *Primo* scil. vt hostibus punctorum accentuumque Hebræorum ostendatur, quod *ex falsa quadam idea non rationalem doctrinam de accentibus certitudinem, sed inadæquatas cultorum eius notiones & regulas impugnauerint. Secundo*, vt studium lectionis sacri Codicis amatoribus accentuum reddatur facilius. Successiue ergo ostensuri sumus, quod hac arte characteristica, tanquam vera de accentibus idea, nouisque pro punctis & accentibus argumentis contra accentuum & punctorum aduersarios nil quicquam proficiatur. *Deinceps*, quod hac arte characteristica, amatoribus doctrinæ de accentibus, studium lectionis scripturæ sacræ difficilius reddatur. Proinde, quod nostram methodum, quæ traducitur, ac allegorica &c. dicitur, iure meritoque præferamus. Quæ cum ita sint, *partite* dicamus, & examinemus, *quænam* de doctrina de accentibus idea, vt vera & genuina in hac arte characteristica supponatur? *Quid* noua pro accentibus & punctis vocalibus argumenta valeant? *Qua* ratione lectionis scripturæ sacræ studium discipulis reddatur difficilius? & *denique*, quomodo nostra methodus allegorica huic inuentioni longe præferenda sit. Tanrum hac vice expediemus, quantum angustiis huius dissertationis terminis conuenit.

## §. III.

*Ideam doctrinam de accentibus*, quæ vt vera & genuina heic præmittitur, consideraturi, per partes progrediamur, & *primo* quidem definitionem doctrinæ de accentibus, *deinceps secundo* de accentibus ipsis audiamus, & examinemus.

## §. IV.

*Definitur, doctrina de accentibus*, quod sit *ars characteristica*, qua statim antiquissima ac purissima Iudeorum Ecclesia certis ipsisque notis figuris ad rationalem certitudinem in lectione & expositione textus sacri instituta est, iuxta quam hodie textus originalis distincte legi, exponi & intelligi potest. Hæc definitio doctrinæ de accentibus tantum non in omnibus *hypothese* nititur. Quis enim



vnquam de hoc genere doctrinæ de accentibus cogitasset, quod pertineret ad artes characteristicas, nisi heic generis loco constituta esset? Veruntamen nondum determinatum erat, quid sit ars characteristicas: sed obscurum per æque obscurum explicatur. Nihilominus tamen methodus sit *mathematica*. Hoc enim est Philosophi, vel mathematici potius. Aliud nobis est cognitio symbolica, aliud vero ars characteristicas: illa dicitur hodie: si verbis enunciamus, quæ in ideis continentur, vel aliis signis eadem repræsentamus; hæc vero designorum differentia & usu agat, quod inter desiderata hactenus ponitur. Si vel maxime genus concederemus, nulla tamen specifica adesset differentia. Antiqua enim sacri-textus cum punctis vocalibus descriptioni potest tribui. Sic dicerem iuxta hanc definitionem: *Punctorum vocalium subscriptio est ars characteristicas, qua statim antiquissima ac purissima Iudeorum ecclesia certis ipsisque notis figuris ad rationalem certitudinem in lectione & expositione textus sacri instituta est, iuxta quam artem characteristicas hodie textus originalis distincte legi, exponi, & intelligi potest.* Quis enim dubitaret, quod subscriptio punctorum vocalium sit ars characteristicas? quod in antiquissima statim iudeorum ecclesia ex illorum sententia, qui puncta vocalia, vt diuina agnoscent, in usu fuerit? quod istæ figuræ illis fuerint cognitæ? quod iuxta illas textum sacrum distincte legerint, expofuerint, & intellexerint?

§. V.

Accentus sint signa tam distinctæ lectionis, quam interpretationis & meditationis. Vt iam non vrgeamus alia, notamus saltem, quod hæc definitio rem non exhauriat. Non enim tantum lectionem distinctam, interpretationem & meditationem accentus mihi indicant, sed etiam affectum loquentis innuunt, qui hac in arte neglectus videtur. Afferitur nempe, quod & in vniuersa voce haud raro completa sit notio, ideoque signum distinctiuum habeat. An hoc vbiuis quadret, subdubitemus, quamuis non negemus, quod interdum accidat. Si verbi gratia *tes I. 24 לכו* propterea, cum accentu *Rebbia* legitur, an in sola hac particula perfecta sit notio? sic quoque versu mox antecedenti *לכה* per *Pajcha* distinctiuum separatur. An er-



go in hac voce: *quomodo*, perfecta notio lateat, quisque diiudicet? Ita etiam in aliis pluribus, vt v. g. Ies. V, 20. 21. 22. um distinguitur. Vt, quæ §. IV. dicta sunt, prolixè iam non repetamus,

## §. VI.

Accentus, inquam, sint *signa distinctæ lectionis*, quia vel coniuñctiui vel distinctiui essent. Omnia Hebræorum signa distinctiua certum & constantem suum ordinem atque symmetriam habent. Differentia vero & ordo omnium distinctiuorum ex perpetua totius in dimidium, dimidii in quadrantes, horum in octonas &c. diuisione fluere. Quemadmodum ergo octantes duo quadrantes conficerent, duo quadrantes dimidium, duo dimidia totum, sic & in lectione Hebræa notiones breuiores cum sequenti contextu in maiores subiunde & sortiores notiones coniungerentur, ex maioribus vero notionibus hemistichia & integri denique versus fierent. Accentus esse signa distinctæ lectionis, & notiones breuiores in maiores subiunde accrescere, ipsimet concedimus. Certum atque constantem ordinem omnes distinctiuos habere, non negamus. Sed videamus, an in canone accentuatorio iste ordo accentuum certus & constans sit? Nos istum ordinem modo ascensu, modo descensu obseruari debere, ex aliis principiis asserimus. Namque in consecutione sua tam maiores, quam minores habent, quod tabulæ consecutionum euincunt. Largimur etiam, quod versus in duo diuidantur hemistichia, per accentum in profaiciis post Silluk maximum, quod haud dubie istam cogitandi symmetriam occasione fuit. Vt iam taceamus, quod D. ABICETHI præcepta, excepto canone accentuatorio, vtramque heic faciant paginam. Ast vnde probari poterit, quod distinctiuorum ordo & differentia ex perpetua totius in dimidium, dimidii in quadrantes diuisione fluat? Sane a particulari, quod heic est accentus *Anach* diuisio in duo hemistichia, ad vniuersale, seu omnes distinctiuos, concluderetur. Vnde porro probaretur, quod auctor huius artis characteristicæ cunctos ad canonem geometricum, qualis hodie circumfertur, versus exegerit? Vnde probaretur denique, quod hodie adhuc omnes versus ad eundem canonem certum & constantem possint examinari? Cessaret profecto

fecto accentuatio, quam hodie dicunt *a priori*, haud postremum certitudinis doctrinæ de Hebræorum accentibus munimentum. Namque nisi consecutionem accentuum, atque rationes consecutionis probe cognoveris, ac vel inprimis de loquentis affectu attenderis, frustra secundum hunc canonem effectum verba versus vel distinxeris, vel coniunxeris. Cessabunt *emphases*, quando ob affectum loquentis & alias causas maior pro minori positus fuerit deprehensus, quod non notare canon iste delineatus videtur. Hanc *artem characteristicam* olim fuisse tractatam, prout hodie *Algebra & Musica* tractarentur, perperam asseritur. Namque alia ratio est *Algebra & Musica*, quas ad symbolicæ cognitionis classem hodie merito referunt, heic non agitur de notionibus & propositionibus, *nota musica* ad canonem geometricum non examinantur. Proinde ab his artibus characteristicis ad doctrinam de accentibus argumentari non licet. Verbo: quantitates & magnitudines rerum, non vero voces, notiones & propositiones canone metimur. Rursus igitur probatione destituitur, quod doctrina de accentibus, ut hodie *Algebra* atque *Musica*, quondam tractata fuerit. Sed forte eius probatio hæc est: *Quia in Algebra & Musica figuris & characteribus harum rerum periti vivuntur*, ergo & in doctrina de accentibus idem statuendum erit. Ast quis non videt, quam infirma hæc sit consequentia? Quid fieri potuerit ab accentuum inventoribus iam non quæritur, sed quid revera factum sit? id quod nunquam probabitur, quod ita res, ut existimatur, sese habeat.

§. VII.

Hanc ob causam accentus a Iudæis **שׁוּבָה** dictos autumatur, quia his neglectis vocum Hebræicarum sensus sæpe per spuriam coniunctionem (aut disiunctionem) cum antecedentibus & sequentibus obscurus esset, imo prorsus periret. Eiusmodi connexionem spuriam cum antecedentibus & consequentibus vix habuisse locum, plane nobis persuademus. Namque auctor accentuum, quisquis etiam fuerit, logice prius singulas propositiones examinaverit necesse est, quam accentus adiecerit. Ergo hodie adhuc, posthabitis accentibus, propositiones

nes

nes logice examinari, & pro illarum conditione accentus apponi possunt, & hodie apponuntur. Sed ad maiorem nostri conuictionem facit, si accentus in Codice sacro eadem ratione positos conspiciamus. Hinc IOH. BUXTORFII iudicium longe hac in re præferimus, in *Lex. Talm.* de hac voce, p. 897. scribentis: **וְעַ** accentus, apud Grammaticos, sic dictus, quasi *sapor & gustus suauis, tum dictionis, cuius legitimam pronuntiationem denotat; tum sententiæ, quam membri distinguit.*

## S. VIII.

Accentus sint quoque *signa hermeneutica*, dum ostenderent, notionum differentiam vel ab inuicem distinguendarum, vel coniungendarum, & quæ illarum sit inter se relatio. Hac occasione de usu accentuum exegetico apud Iudæos, item & de Musico agitur. Exinde inferitur, quod multitudo figurarum non sit otiosa maiorum inuentio, sed quod hæc ars characteristica ex suo multiplici usu diiudicanda sit. Proinde nobis aliam de doctrina de accentibus notionem formemus, quam ex Europæorum distinctionibus, a qua multum discederet. Ast respondemus: In tantum adhibentur distinctiones Europæorum, in quantum accentus Hebræorum voces ab inuicem distinguunt, quod vltro conceditur. Ad hoc igitur tantum faciunt Europæorum distinctiones, vt accentuum distinctiuos indicent, non vero, quasi omnia accentuum Hebræorum peculiaria exhaurirent. Ergo perperam inde alia doctrinæ de accentibus idea elicitur, & per consequens infelici prorsus successu, hæc cum idea contra CAPELLVM; eiusque asseclas disputabitur. Interim nil obstat, quo minus Græci & Latini distinctiones Hebræorum per suas expriment.

## S. IX.

Hæc de accentibus idea specialius proponitur, facta distinctione inter accentus *distinctiuos & coniunctiuos*. Quod in fundamento cum aliis de accentibus præcipientibus sit consensus conceditur, quorum tamen diligentia noua quadam explanatione & methodo succurreretur. Igitur vel conceditur, quod nostra, vt hodie adhuc traditur, doctrina de accentibus solida sit, vel ea, vt minus solida, reiicitur. Si prius, hæc inuentio nulla, vel saltem frustranea est. Sin posterius, sibi met contradicitur.

citur. Nam hæc inuentio eo minus combinari potest cum aliorum præceptis, quo magis scimus, quod nullus huc usque *methodo mathematica*, de qua gloriantur, hac de re scripserit. Hæc *ars characteristica*, vt egregium *memoriae subsidium*, extollitur, si doctrina de accentibus, vt *canon geometricus*, consideraretur. Tandem additur, quod *accentuum significatio* & omnes eorum *regule ex vera artis huius characteristica natura* deducantur, usque nomina *quererentur, quæ ordinem & significationem cuiuslibet figura complecterentur*. Hæc si vera sunt, opus erit, vt vel tandem ex Logica similis ars characteristica fiat. Logici enim circa propositiones & notiones versantur, quas coniungunt & disiungunt. Auctor hanc artem characteristicam ad Mosen & prophetas refert, ergo inter illos iam ars characteristica floruerit, vt Arithmetica, vt & Algebra, item Musica nostra, necesse est, quod perperam supponitur.

S. X.

Accentum *coniunctiuum pro distinctiuo, maiorem pro minore, & vice versa poni* pernegatur. Huius rei rationem si quaeris, sequens profertur: Quia *in aliis artibus characteristicis vnus character pro altero poni non potest*. Verum nouimus, quam egregie hæc ars characteristica sit probata, qua profligata, profligatur eius ratio, & cum hac tota assertio. Interim fere inter omnes constat, quod v. g. in arithmetiis, manente eadem proportione, alter pro altero numerus possit substitui. *Regule grammaticales & syntactica, huc vsque in doctrina de accentibus adhibite*, magno zelo reiciuntur & prorsus proscribuntur. At ne hoc sine causa susceptum videretur, *duæ huius proscriptionis causæ* allegantur. Prima quidem hæc est, quod *antiquiores Hebræi parum de nostra syntaxi & grammatica in doctrina de accentibus solliciti fuerint*. Secunda vero, quod *parum curauerint, an cum constructione grammatica adsuerit conuenientia, an vero non, dummodo res conuenissent*. Priori rationi opponimus, quod grammatica vel *formaliter* consideretur, vel *materialiter*. Si hæc assertio de *forma* nostræ grammatices intelligitur, idem sentimus; sin *minus*, omni iure negamus, illos antiquiores Hebræos nostram ignorasse grammaticen. Si habuerunt eandem, sequitur, quod *materialiter* nostram nouerint gram-

maticam. Omnis enim grammatica suas ex ipsa linguæ natura regulas habeat deductas. Si non habuerunt, sed aliam tunc temporis coluerunt, tota auctoris accentuatoria strues corruet. Qua de causa pueriliter verbis luderet, qui affereret: *Antiquos Hebræos nostras grammaticales & syntacticas regulas ignorasse, & per consequentiam ad illas in doctrina de accentibus non respexisse.* Namque nemo sine regularum grammaticalium obseruatione in vlla lingua loquitur, si vel maxime nulla istius linguæ grammatica exstaret. Obseruat enim vocum constructiones, pro genio linguæ sibi vernaculæ. Obseruat linguæ suæ idiotismos, quantumuis illi a quopiam nondum in systema quoddam redacti sint. Summam igitur huiusmodi hominibus iniuriam facerent, qui illis obicerent, quod grammaticen suæ linguæ ignorarent, siquidem ex ipsa linguæ illorum indole confecta esset aut conficienda quædam grammatica. Quod si igitur, quantumuis ignorauerint linguam, in qua conscriptæ sunt nostratium grammaticæ; quantumuis nostros nesciuerint terminos grammaticos, norunt nostram grammaticam, syntaxinque nostram, nullum est dubium, quin & ad ea in doctrina de accentibus (dummodo inde deducenda sit) respexerint; præsertim cum a posteriori æque nobis inferre liceat, quod in constructionibus syntacticis & grammaticalibus signa coniungendi frequentissime adhibuerint. Vice versa autem, vbi huiusmodi nexus grammatices aut syntaxeos non est, signa distinguendi apposuerint. Nec tamen est, quod sperares, nos statuere, omnia, quæ in doctrina de accentibus occurrunt, regulis grammaticalibus & syntacticis absolui. Igitur nihil aliud agitur, quam vt & heic ex meris præsuppositis colligatur, & pes calceo aptetur. Namque, adoptata semel de arte hac characteristica & canone accentuatorio hypothesi, non possunt non omnia, huc vsque hac in disciplina solide tradita, inuadere, eaque e medio tollere anniti pro viribus. *Posteriori* rationi hæc aduersantur, quod rursus nobiscum agatur ex meris præsuppositis. Supponitur, *hos ipsos Hebræos nostram ignorasse syntaxin & grammaticen,* ad quod satis superque iam responsum esse speramus. Supponitur, quod *ista recens effecta in do-*

*ctrina*

*Erina de accentibus ars characteristica illis ipsis Hebrais cognita & perspecta fuerit, quod ne per somnium quidem ulli videretur probabile. Porius, si hoc argumentum quicquam probaret, illud inuenteremus atque diceremus: certi sumus, quod antiquiores Hebraei neque hanc artem characteristicam, neque hunc canonem, accentibus conuenientem, in institutionibus suis distincte legendi & meditandi curauerint. Non videmus ergo, cur accentuum auctores non simul de regulis grammaticis & syntacticis attenderint, sed de sola re, an ista signis, an vero non, respondeat. Nam & illæ suis superstructæ sunt fundamentis.*

S. XI.

Non minus in reliquis accentuum Magistrorum regulis vehementer perstringendis defudant, ne cui artis nouiter inuenta parti obsint. *Voces duabus plures Hebraeos non coniungere, salum esse perhibetur, vt et: alterum ex duobus seruis loco sui domini poni.* Nam 1.) *accentuum doctori liberum fuisse, accentus coniunctiuos, vt tales, apponere, si pluribus in notione distincta opus fuisset, duabus vocibus.* 2.) *Quia exceptiones regulis maiores essent.* Quod si saltem logice in apponendis accentibus primi eorum auctores versati sunt, totam hanc argumentationem concedimus. Ast antea probauimus, quod & nexum grammaticum, & loquentis affectum insuper respexerint. Cur ergo non coniunctiuos pro distinctiuis adhibere potuerint? Minus vero accentuum magistrorum mentem perspexisse videntur, existimantes, quod vicarius sensus domini vere distinguat, cum illud ratione sensus vix sensibilibiter fieri asseratur. Nihil ergo obstat, quo minus vox huiusmodi notata vicario in lectione & meditatione cum istis, quibus adharet vocibus, coniungi queat. Nouimus quoque, quod Hebraei duabus plures coniungant voces per lineolam Makkeph, sed istæ habentur pro vnica, quia vnicum saltem tonum habent. Igitur vacillat hæc ratio, existimantium, hoc liberum auctori accentuum fuisse, plures ad notionem quandam necessarias voces, per coniunctiuos connectere. Nam de eo non disputamus, quid auctori accentuum fuerit liberum, sed quid elegerit atque adhibuerit. Ex quo a posteriori colligimus, quod & vicarios adhibuerit. Istos Magistrorum

Itorum accentuum canones, in quibus tot essent exceptiones, quot exempla, ipsimet reiicimus. Opinamur autem, dari eiusmodi compendia, in quibus huiusmodi canones forte non extant. Horum ergo fuisset, ista indicare scripta, vt de rei veritate & heic dispici posset. Ponas autem, dari huiusmodi scripta, annon si præcepta accentuationis ad illorum ductum traduntur, a bonis ac rei huius peritis doctoribus isti næui commode emendari poterunt?

### §. XII.

Inuehitur tandem in quorundam doctorum accentuum *seruilem*, vt vocatur, *vocum dinumerationem*, quia apud veteres Hebræos huiusmodi *vocum dinumeratio*, *inutilesque lusus*, *artis huius characteristicæ fundamentum non fuissent*. *Omnia potius boni ordinis & sanæ rationis opus fuissent*. *Naturales rerum notiones ante oculos habuissent, & vel coniuuissent, vel distinxissent*. Quæ cum saltem ad quosdam accentuum magistros extendantur, eaque nos non feriant: prolixiorum ad ea responsonem mittimus. Veruntamen monemus, quod illis via monstratur, qua incedere possint, vt omnem vocum dinumerationem fugiant, v. gr. si sub quodam distinctiuo, hi modo, modo alii subdistinctiuo occurrunt, item, si quis distinctiuus vno plures ministros habet. Sed ita ostendatur, vt ex aliis cum illis, quibus ars hæc characteristicæ est suspecta, principiis agatur. Hoc si non præstabitur, ad istam rationalem obrentam certitudinem, atque ad hanc de accentibus ideam, heic adumbratam, frustra provocabitur. Cæterum haud dubie causa huius dinumerationis vocum *Masora* extitit, quæ ad *Exod. XXVIII, 13. minimam versus* quantitatem in *duabus* vocibus ponit, *XIV. vero versus* tribus vocibus absoluerentur v. g. *Gen. XXVI, 6. XLIX, 18. Num. XXVI, 8. Deut. III, 15. XIV, 3. II. XXVIII, 5. 17. &c. semel duabus per Makkeph copulatis Num. XXVI, II. Verum ad Ier. XXXVIII, 4. maximam versus* quantitatem *XL. vocibus* includit, cuius rei exempla *quinque* annotantur.

### §. XIII.

Totum igitur artis huius characteristicæ negotium in hoc cum versetur, *cuinam auctori inuentio accentuum tribuenda sit*, iam porro, *quid noua hodie pro accentibus & punctis vocabulis argumenta*, in medium prolata, *valeant?* sedulo expendenda.



dendum. In genere reprehendi posset, quod seiungenda minus accurate coniungantur confundanturque. Contra eos enim coniunctim disputatur, qui neque puncta vocalia, neque accentus, ut inuentum planè diuinum, admittunt, cum hodie tamen tantum non omnes diuinam punctorum vocalium originem admittant, quamuis eam accentibus *vel* profusus denegent, *vel* saltim totam rem in medio relinquunt. Nos, ut diuinam punctorum vocalium originem vltro largimur, ita hoc loco controuersiam de accentibus in medio relinquimus, ea tantum prolaturi, quæ nobis circa noua hæc argumenta videbuntur monenda, neutiquam illis dicam scribentes, qui vnum idemque cum aliis statuunt. Non opus esse censemus, ut repetamus id, quod in hac controuersia ratione momenti sui, in quo versatur disceptatio, sæpius ab aliis est monitum. Sufficit, quod hodie hæc hypothesis *partim* rationibus, *partim* dictis ex vtriusque fœderis scriptura desumtis propugnetur.

§. XIV.

*Rationes hæc sunt, quia impossibile esset, quod Talmudistæ, hostes christianorum insensissimi, per puncta & accentus expositiones, christianis tantopere fauentes, suppeditauerint. Secundo, quia Logicam & Hermeneuticam sacram parum calluissent. Sed quamuis Talmudistæ hostes christianorum insensissimi fuerint, lege tamen iis interdictum fuit, aliquid mutare in sacro codice. Hinc si vel maxime puncta & accentus interpretationem christianis fauentem suggerant, tamen codicem sacrum non corruerunt, sed aliis interpretationibus sibi consuluerunt. Hinc in textus sacri conseruatione ad excessum & superstitionem vsque progressi sunt. Sic tenebræ illuminarunt, & stultitia prædicauit sapientiam. Iudæis enim elogia diuina fuerunt concredita, Rom. III. 2. Ceterum, an contra omnes, accentuum auctoritatem negantes, iure disputetur, nescimus, siquidem eos non omnes Talmudistis tribuunt. Porro postulat hodie, ut euictum, concedi, quod lingue hebrææ certitudo nitatur scientia, textum hebræum, ductu rationis, certo legendi & interpretandi. Proinde hanc probare thesin sustinent: quod ista certitudo, a Mose aliisque prophetis, per puncta & accentus statim*



*sub initium confirmata, sed invalescentibus punctis haud adornatis codicibus, & doctrina de accentibus oblivione, perierit. Hic tria momenta specialius considerantur. 1.) an puncta vocalia & signa accentuum lectionis & interpretationis certitudinem confirment? 2.) an hæc certitudinis signa a scriptoribus sacris statim sub initium omnibus lineis vocibusque apposta fuerint? 3.) qua ratione codices, punctis non instructi, in omnibus hodiernis Iudeorum scholis, codicibus, punctis adornatis, anteponi poterint?*

## §. XV.

Quod primo puncta vocalia atque signa accentuum lectionis & interpretationis certitudinem confirment, probatur ex propria duplici experientia, 1.) quod omnes accentus in codice sacro regulis & contextui convenienter sint positi. 2.) quod, omissis vocalibus & accentuum signis, textus sacri arbitrariae & incertae interpretationi exponantur. Propria huic experientiae nimium tribuitur durissimisque verbis in dissentientes inuehitur. Verum si CAPELLI assecla eandem demonstrationem egregiam, propriam scilicet experientiam opponerent, atque colligerent: 1.) Conuicti sumus, quod omnes accentus in Codice sacro regulis & contextui non convenienter sint positi, neque per artem characteristicam demonstrari possint. 2.) quod punctis vocalibus & signis accentuum omissis, textus hebraeus non arbitrariae, sed certae interpretationi exponatur. Loco igitur mouere thesin oppositam conantur. Nempe quod punctis vocalibus primum opus non fuerit, nam linguae huius periti etiam absque punctis codicem sacrum aequè ac scripta rabbinica legere possent, quibus iterum experientia opponitur. Item, quod linguae periti puncta in codice sacro non semper assequantur, ex versione LXX. virali volunt adstruere. Sed negamus, quod LXX. verba textus hebraei tantum transferre voluerint, sed de sensu attenderunt. Hinc ex illorum notitia nil contra CAPELLI asseclas inferri poterit. Variis enim exemplis in Nouo Testamento adductis probari potest, quod LXX. non tam voces, quam sensum expresserint. Ceterum sententiam illorum, qui, ut supra dictum, diuinam vocalium originem impugnant, nostram non facimus. Deinceps argumentum a lectio-

lectione scriptorum Rabbincorum petitum remouetur, ea de causa, quod summa inter genus dicendi biblicum & Rabbincum disparilitas esset. Rabbini enim plures connectendi particulas, pluraque verba auxiliaria haberent, quibus lingua Hebraeorum, doctrina de accentibus adiuta, non indigeret. Ast quæ colligendi ratio? Quia Rabbini plures connectendi particulas, ac plura verba auxiliaria habent, ergo codex facer absque punctis vocalibus & accentibus accurate legi non potest. Secundo, quia Rabbini haberent lectionis matres, quas ibi quoque iponerent, vbi in codice sacro non est fulcrum vocalis, adeoque nulla litera, sed punctum vocale tantum. Annon vero etiam in Codice sacro matres lectionis extant? Annon omnes quoque coniugationes intra contextum determinari possunt? An Rabbini vbiuis matres lectionis apposuerunt? exempla euincunt contrarium. a) Annon accedat vera doctoris institutio, qui istam lectionem a suis præceptoribus accepit? Tertio, quia intercederet magna inter friuolum Rabbincorum stilum, & inter argumentum & notiones scripturæ differentia. Sed ista parum ad præsens negotium differentia facit. Quæ enim consequentia: Ergo Codex facer absque punctis vocalibus & accentibus non aequè ac scripta Rabbunica legi potest. Quisquis ergo nondum codicem sacrum absque punctis vocalibus & accentibus legere didicit: ille nondum linguæ genium, a præceptoribus suis rite hausit. b) Iam quilibet suos tentet profectus, ne nimis audacter suam hac in re interponat experientiam, sed potius, si contrarium deprehendit, inferat, se nondum iis instructum esse mediis, vt linguæ peritis annumerari queat?

§. XVI.

- a) v. gr. **דמשיך** Coh. X, 10. Plura vide in DANZII Rabbincismo §. 11. seqq. & §. 17.
- b) Sic enim ELIAS apud IO. BVXTORFIVM in Tiber. p. 23. col. 1. Ita exercitati fuerunt, legere absque punctis & accentibus, vt vbi sententia consisteret, illic semper pausam fecerint, vbi verò pendebat sententia, illic sermonem continuabant. Prout audiuerant, & acceperant ex ore prophetarum.



## §. XVI.

Tota res exemplo, ex *Ecclesiastis* c. I, 3. desumpto, illustratur. LXX. interpretes ex codice, punctis haud instructo vocalibus, male transtulerint, & æque ac LVTHERVS nullam fere distinctiuorum rationem habuerint. Participium יהוה non resoluerint, sed הוה legerint, quia reddidissent: *γευσεν ποπέουται*, cum vtrumque aliter plane vertendum sit. Sed frustra LVTHERVS & LXX. malæ versionis postulantur. Ille quidem, quia verborum sensum & affectum loquentis optime expressit. *Sensum* quidem, quia vox יהוה proprie id notat, quod post omnes labores & sumtus purum superest. Hæc enim est radice eius, a qua descendit, significatio, quam in Niphal & Hipbil habet, vt relinqui, superesse notet? a) Ergo vocis יהוה significatio cum voce הוה coincidit, qua Salomo *Prouerb. XLV, 23.* vtitur, per quam etiam Rabbi SALOM. ISAACIDES b) cum CHALDAEO c) vocem יהוה exponit. Adhibita ergo vocis יהוה notio secundaria demum est, si notat *prestantiam*, vel, vt transferatur: *optimum*. Iam vero vox non restringenda est, nisi restringatur ab ipso Spiritu sancto. Ecclesiastes d) insuper ipse vocem יהוה ita accipit, quare & nos ab ista significatione non recedimus. Sensus igitur LVTHERI genuinus est, vertentis: Quid superest homini ex omni labore suo, quem laborat

a) Vide ex Niphal Exod. X, 15. Num. XXVI, 65. Ios. XI, 22. Ex Hipbil Exod. X, 15. Ies. I, 9.

b) reddens: וטוהר שכר וטוהר *merces & emolumentum*, quæ, exantlatis laboribus, isti superfunt homini. Adde sis ABENESRAM, sensum & connexionem ad hunc locum ostendentem, h. v.

יהוה אחר שהכל הבל מה יועיל לאדם בכל עמלו *postquam omnia sunt vanissima, quid prodest homini ex omni labore suo?*

c) מה וטוהר אית לאנש כתר רי מות מן כל פורדוהו *quod emolumentum superest homini post mortem ex omni labore suo, quem ille laborat sub sole?*

d) cap. V, 15. inquit: *Et quodnam emolumentum ei superest quod laboret in ventum*, hic istud יהוה statim subiicitur, & sic etiam se res habet cum reliquis, in quibus vox יהוה legitur, vt Ecclef. II, 11. & 13. c. III, 9. VII, 12. X, 10. V, 8.

rat sub sole? a) Non videmus itaque, qua ratione LVTHERVVS nullam cum LXX. interpretibus distinctionem obserauerit? Namque haud dubie voces istae sunt coniungendae, quae ad notionem distinctam faciunt. Quae cum ita sint, in priori hemistichio accentus Tiphcha sub voce יררו vt minor, tantopere non distinguit. Ast vrgentur duae propositiones, quas coniunxissent & confudissent. Verum LVTHERVVS magis respexit ad linguam vernaculam puritatem, in qua res ita exprimere studuit, vt quilibet, vel simplicissimus, sensum penetrare posset, quam ad meram vocum translationem? b) Quod si igitur ita voces transtulisset, vt translatae sunt, barbara fuisset eius versio. c) Iraque nobis in huiusmodi casibus versionem LVTHERI taxare non licet, sed eam potius ex consideratione rei & affectu loquentis defendere. Nam ponendum fuisset in ista versione signum interrogationis, hoc modo: *Was hat der Mensch mehr?* Sed cum illud sub commatis finem ponat, idem bis ponere superfluum fuisset. In voce עמרו optime distinctionem per comma indicauit, & sensum recte expressit.

§. XVII.

Non minus LXX. interpretes hunc locum recte transulerunt: *quae redundantia est homini ex omni labore suo, quem laborat sub sole?* Nam vocem יררו melius quoad sensum vix transferre potuissent. Non sequitur, quia LXX. participium הולך resoluendum non resoluissent, quod in 3. sing. praet. Kal הולך legerint, punctis in codice suo non subscriptis. Notum enim est, quod quoduis participium in tempus finitum

- a) vel vt IO. CLERICVS ad locum cit. scribit: *Quid emolumentum ad hominem redit, ex omni labore suo, quo defungitur sub sole.*
- b) tom. V. Ien. Germ. In *Send-Briefe vom dollmetzen*: *Ich hab mich des beflissen im dollmetzen, daß ich rein und klar deutsch geben möchte. &c.*
- c) Quis enim ex simplicibus assequi potest sensum verborum: *Was nun das beste den Menschen?* Sed LVTHERVVM facile assequetur, inquam: *Was hat der Mensch mehr von aller seiner Mühe, die er hat unter der Sonnen?*

nitum aliquod, atque etiam in præsens, resolui possit. a) Ergo כֹּהֵן דֹּרֹר וְדֹרֹר כֹּהֵן generatio iens & generatio veniens item est, ac generatio abit, ac generatio venit. Hic certe sensus videtur præferendus. Vnde enim hæc participii resolutio adstrui poterit? & quod לעולם significet: donec completam sit tempus eius. Eadem impedimenta finguntur Eccles. II, 3. quo de loco spondetur, quod nemo illum, punctis vocalibus & accentibus neglectis, ordinate possit transferre. Atqui IO. CLERICVS in comment. ad b. l. ordinate hunc locum transtulit, qui tamen de accentibus, inique sentit, ergo male fides interponitur.

## §. XVIII.

Arguuntur denuo recentiores in ECCLESIASTEN commentatores ignorantia, & aliorum relinquitur iudicio, an non ab ipso SALOMONE, vtpote Ecclesiastis auctore, statim sub initium puncta & accentus sint adiecti? Hac ratione adiecta, quod absque accentibus impossibile sit, ita Ecclesiasten legere & interpretari, ut mens sancti auctoris requireret. Iam vero Ecclesiastes ipse fateretur, quod librum suum incerta & arbitraria lectioni & interpretationi non reliquerit. Diceret enim cap. XII, 20. se quæsiuisse, וְכִתּוּב יִשְׂרָאֵל וְכִתּוּב אֱמֶת וְכִתּוּב יִשְׂרָאֵל ut hæc verba veritatis aliquid recte descripti essent. Hic non tam scripturæ materiam, quam potius formam respexisset, quod liber Ecclesiastis, ut כִּתּוּב יִשְׂרָאֵל in scripta perfectione & rectitudine sit editus. Hæc scriptura rectitudinis opponeretur scriptura non recta, & esset scripturæ signis lectionis & meditationis adornatæ genus, vel textus Hebræus punctis & accentibus instructus. Verum ficta prorsus est hæc oppositio. Hoc enim si verum esset, sequeretur, quod SALOMO demum vocalium & accentuum auctor fuerit. Repetierat enim SALOMO suam superius iam declaratam de rebus mundanis sententiam v. 8. vanitas vanitatum, cet. Sed v. 9. ostendit suam præ ceteris prærogatiam, quod fuerit sapiens, populum quoque erudiuerit, attenderit & peruestigauerit continuo, disposuerit multa prouerbia. Hoc explanat v. 10. quasi-

a) ut præcipit SAL. GLASSIUS in Philolog. S. Libr. III. Tract. IV. can. IV. vbi de eodem participio exempla duo, Iudic. XVII, 9. & Cohel. I, 7. attulit.

quæsiuit Ecclesiastes, ut inueniret verba delectationis, & scripturam  
 rectitudinis, verba veritatis. Posteriora verba si considerantur,  
 sensum non fundunt, sed aliquod verbum aut omisium, aut  
 repetendum est. Iam dispiciamus, quodnam sit repeten-  
 dum? Auctor sine dubio verbum בקש repetit, vt eius verba  
 haud obscure indicant. Forte, quia vox קוהלת per Sakeph  
 Kathon distingueretur. Sed perpendatur quæso, quod At-  
 nach maioris sit distinctionis, quam Sakeph Gadol, quod-  
 que connexio non cum remotiori, sed cum propinguiori in-  
 situenda sit. Non sine causa למצא per distinctiuum Tiph-  
 cha a verbis subsequentiis separatum est, cum iisdem per  
 feruum adherere potuisset. Sed hoc ex nostra sententia  
 factum est, vt innuatur, quod hoc verbum non ad antece-  
 dentia, sed ad subsequencia se referat, quia ex vtraque parte  
 maior distinctiuus legitur. Nos ergo infinitiuum למצא  
 in posteriori hemistichio hoc sensu repetimus: *Quæsiuit Ec-  
 clestastes, ut inueniret verba delectationis: insuper quæsiuit, ut in-  
 ueniret scripturam rectitudinis.* Quæ sit ista scriptura rectitu-  
 dinis, statim his verbis declarat: scilicet verba veritatis.

§. XIX.

Ab his, ex SALOMONE prolatis testimoniis, ad alteram  
 argumentorum classem, a dictis scripturæ sacræ petitorum, pro-  
 gredimur. Primo ex veteri Testamento ponitur locus Deut. XXXI,  
 24. vbi expresse omnia legis verba ער תמם descripta dice-  
 rentur. Horum verborum sensus sequens esse perhibetur:  
 quod omnia quoque verba suam perfectionem, ratione punctorum  
 & accentuum, habuerint, quam Leuitæ Deut. XXX, 10. custodire de-  
 buissent. Verum nisi promore rursus ex præsuppositis, & ex  
 hypothesi actum fuisset: hæc verba facili negotio ex hoc  
 capite ipso rite explicari potuissent. Nam si vel vltimum  
 huius capituli comma consideramus, harum vocum perspici-  
 cere sensum possumus, vbi Moses coram tota Israelitarum  
 concione verba huius cantici legisse dicitur ער תמם quod  
 iuxta huius interpretationis auctorem esset: *vsque ad perfe-  
 ctionem punctorum vocalium & accentuum.* Sane eadem phra-  
 sis de punctis & accentibus, qua perfectionem, & simul de  
 eorundem lectione adhiberi nequit. Quid ergo posteriori

loco phrasıs significat, illud & priori denotet necesse est. Atqui hæc phrasıs ab ipso Mose explicatur, Deut. XXXII, 44. *Et 45. quum absoluisset Moser eloqui omnia verba ista ad totum Israel. Hic vox ויכל quum absoluisset, istud ער תמום explicat. a) Huncque sensum perpetuus phrasılogiæ huius in codice sacro vsus euincit, vi cuius omnimodam rei absolutionem, & consumptionem plenariam denotat. b) Hinc totius commatis sensus nobis hic est: Et factum est, cum continuo, magis magisque absolueret Moser describere verba legis huius in libro; donec absolueret illa (verba) vt præciperet Moser Leuitis &c.*

## §. XX.

Secundus ex Vet. Test. locus Nebem. VIII, 8. legitur. Heic diceretur, quod in libro legis diuinæ legerint מפורש *vt in libro distincto, & intellectu apponendo animato, שכל ושום quumque sensum rite collocarent, ויבינו במקרה inter legendum intelligebatur.* Tanta in hoc loco fiducia collocatur quantam vix vllus hac in controuersia in illo collocaret. Hoc enim totum CAPELLI systema destruat. Nam Nebemix temporibus scriptura sacra iuxta scctiones & accentus lecta fuisset. Hunc Nebemix locum ipsi doctores Talmudici & iudeorum Magistri de accentibus & distinctionibus interpretarentur. Ast vnde hic sensus verborum Nehemix elicitus probari poterit? Legerant in libro legis diuinæ מפורש *expositæ i. e. ita, vt verba exponerent.* Aderant enim non qui prælegebat solum, sed & qui prælecta interpretabantur. Posteriores hanc ob causam dicebantur רעים מה רעים quod interprete RABBI SALOMONE

- a) Et sic LUTHERVS Deut. XXXI, 24. & 30. optime verba translit: *Da Mose die Worte dieses Gesetzes gantz aus geschriben hatte. Item: Also redet Mose die Worte dieses Liedes ganz aus.* Ita etiam CHALDAEVS: ער רשמו *donec absoluta essent. Et LXX. συνετέλεσε Μουσης γράφω πάντας τους λόγους τῶ νόμου ἔως εἰς βιβλίον ἕως εἰς τέλος & v. 30. καὶ ἐλάλησε Μουσης εἰς τὰ ὄρα πάσης ἐκκλησίας τῆς ῥήματα τῆς ἀδοῆς αὐτῆς ἕως εἰς τέλος.*
- b) Deut. II, 15. Cuius sensum explanat v. 16. Ios. VIII, 24. c. X, 20. Ier. XXIV, 10.



LOMONE est שחיו מתרגמן לעם דכרו תורה qui interpretabantur populo verba legis. a) Itaque huius vocis expositio genuina non est, quia vsu biblico omni destituitur. Nos ergo rursus LVTHERI versionem, vt optimam, defendimus, & asseruamus, nihil heic neque de sectionibus biblicis, neque de accentibus deprehendentes. Namque phrasis ושום שכל huic hypothese plane non fauet. שום enim vt simplex pro composito, quod est in Codice sacro frequentissimum, ponitur, ac nobis est exponere, b) vox שכל intelligentiam, sensum denotat, Prouerb. XXIII, 9. 2. Chron. XXX, 22. Hinc mens Nehemiae hæc sit: Et legerunt in libro, scilicet in lege diuina, expositæ, ita vt prælecta perspicue exponerentur, & cum sensum legis exponerent, במקרא ויבינו tum intellexerunt scripturam. Non negligenda heic est radice קרא cum præpositione ב constructio. Notum enim est, quod pro varietate constructionis varias quoque significationes habeat. Discimus ergo ex vsu biblico, quod in hac constructione notet considerare, attendere. Nehemias ipse hac constructione vtitur, cap. XIII, 7. & Daniel c. IX, 2. & 23. c. X, 11. vt & Esra c. VIII, 15. Hinc reddimus: tum attente considerarunt & intellexerunt scripturam illis prælectam. Quæ cum ita sint, vbi iam est argumentum illud, quod totum CAPELLI systema destruit? Nos non moratur, quod Talmudistæ & Rabbinii hunc locum perperam de accentibus & distinctionibus exposuerint, quod quam inepte factum sit, ex IO. BVXTORFII Tiberiad. c. VIII, sub init. col. 1. pag. 9. & c. IX. pag. 20. col. 2. constat, cuius vitulo ararunt illi, quorum auctoritate nituntur alii.

§. XXI.

His igitur, vt par erat, expensis, corruunt ea, quæ ex tribus hisce locis successiue §. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. adductis colliguntur. Putatur nempe, ex Coh. XII, 10.

C 3

Deut.

- a) Hinc LXX. interpretes, sensum indicaturi, tantum reddiderunt, ἐδίδαξαν Ἐσδραῖς docuit Esra.
- b) Huius verbi significationem comprobat locus Exod. VIII, 8. vbi pro Pharaone Moses intercessisse dicitur, quemadmodum שם לפרעה exposuerat Pharaoni.



Deut. XXXI, 24. & Nehem. VIII, 8. satis patescere, quod duplex scripturæ genus Moysi Salomonisque temporibus ante *Nehemie* tempora cognitum fuerit. Alterum fuisset perfectum, distinctum, & admodum intelligibile genus hebraice scribendi, quod dictum esset כתיב רבירים עד תמם quam ob perfectionem tota scriptura sacra ספר ספר dicta fuisset, in qua lectori τὸ ὀρθογραφίῳ per accentus notatum fuisset. Hoc scripturæ genus a *communi* & *vulgari* genere scribendi distinctum fuisset, utpote in quo tanta perfectio, rectitudo, & omnium vocum connexio, haud indicata fuisset. *Vtramque* scribendi genus inde a Moysi temporibus in usu fuisset. *Vulgari* illo scribendi genere, neglectis vocalibus, in rebus statim expediendis, & inter grammaticos sapius in rebus notis ad usum priuatum, vsi essent. *Perfecto* autem scribendi genere cum punctis vocalibus, quæ eruditus vel imprimis innotuissent, in rebus grauioribus, ἀκριβείῳ postulantis, item si in synagogis curate legere & biblia primum discere incepissent, vsi essent. Inde codices, punctis vocalibus non instructi, manibus imperitorum triti essent, qui oracula DEI pro arbitrio legissent, atque interpretati essent. Hæc si historia alibi probari non poterit, ex his sane locis nunquam probabitur, sed ut figmentum auctori suo relinquatur.

## §. XXII.

Ad probandam hanc narrationem historicam quædam scripturæ dicta denuo producantur. Primum ex V. T. Ezech. XXXIV, 18. legimus, vbi propheta sacerdotibus a punctis, ut re superflua, abhorrentibus grauius se opponeret. *Velamentis* fuisset, *codicem sacrum absque vocalibus & accentibus æque certo legi posse, ac eum is.* At lyncæis eum oculis instructum esse oportet, qui vel de accentibus, vel de punctis vocalibus, vel de hoc duplici Hebræorum scribendi genere vllum, nisi per remotissimam consequentiam, heic inuenerit vestigium. Num v. 17. צֹנִים אֲנִי אֶתְּנֶה לְךָ וְאַתָּה תִּשְׁׁטֵן אֹתָם tu, grex meus, collat. v. 3. 8. & 10. *Leuita*, vocales & accentus nauseantes, an vero רועי ישראל v. 2. & שׂוֹטֵי ouis, v. 17. alii sint atque alii? An v. 17. nomine gregis ipsi pastores veniant? Quod minime contextus suadet. Hinc si vel maxime concederetur, quod  
pastores

pastores hęc loco notent Ecclesiasticos, quod nondum tamen probatum est, siquidem **רועה** pastor, etiam imperantes significat a), tamen hęc alloquitur gregem, & magis auditoribus, quam doctoribus, DEI oraculorum contemptus b) exprobratur.

§. XXIII.

Secundus ex V. T. locus ex *Ies. XXVIII, 9.* adducitur, ei que hic sensus tribuitur. *Si vel maxime Messias cognitionem sui ex scripturis adfereret, eum tamen non iri audirent.* Namque scripturam Iudaei non recte intelligerent, sed a lacte verbi divini & ab uberibus veritatis remoti essent. *1. Cor. XIV, 20.* Huius rei cause afferuntur duae quarum prima fuisset, certae sacrarum literarum lectionis & interpretationis obliuio; altera linguę sanctę neglectus, ita vt Messias hunc alloqui populum cogeretur, vt ex verbo DEI v. 13. *vnam propositionem post alteram, lineam post lineam, rite intelligerent: parum huc, parum illic, tardarent, & sensum rite meditarentur.* Verba enim **לְקַיֵּץ קוֹלָם** item **וְעִיר שָׁם וְעִיר שָׁם** notissima essent formulę Hebręorum scholasticę. Magnus illorum fuisset numerus, Messię temporibus, qui linguę Hebręorum ignari fuissent, ita, vt Messias illis loqui coactus esset v. 11. **בְּלִשְׁנֵי שָׁפָר** in alia prorsus lingua, quam Hebręa fuisset. Et cum iam Iesaię temporibus multis Iudaeis inflatis doctrina de accentibus in quibuslibet versibus & lineis sustidiosa, puerilis, & ad nauseam usque nota videretur: diceret propheta v. 13. *quantumuis nunc ipse verbum DEI, ob sui **אַרְגִּיזֵיאוֹ** & perspicuitatem, irrisori esset, & qui illud absque punctis legere nollet, hęc audiret: accipe vnum post alterum, vnam lineam post alteram &c.* Verum enim vero consideremus horrendam auditorum Iesaię conditionem v. 7. & 8. & facile huius dicti sensum assequi poterimus. Potu inebriante erant obruti ita, vt in se ingurgitata euomerent. Vnde propheta: *quem doceat, doctor, cognitionem, & quem intelligere faciat, auditum? Ablactatos a lacte, & protrusos ab uberibus.* Nemo pręter hos superest doctrinam recepturus, quia tanto nondum litarunt

a) Conf. SAL. GLASSII *Philol. S. Libr. V. Tract. I. c. XI.*

b) Vid. 10. COCCĒVS *in comment. ad h. l.*

tarunt vitio. *ho* Huius rationem reddit propheta, *Et. Io. nam*  
*praeceptum praecepto, praeceptum praecepto, normam normam, normam*  
*normae &c.* Proinde hic locus tam ad Iesaiæ tempora, quam  
 ad N. T. respectum habet, vt præter alios SAL. GLASSIVS a)  
 & ex Iudæis R. DAVID KIMCHI eum interpretantur. Ita-  
 que nihil aliud heic notatur, quam lentus institutionis Iu-  
 daeorum propter vitam illorum Epicuræam progressus, non  
 vero Hebræorum B, A, ba. B, E, be &c. neque distinctionum  
 & coniunctionum iuxta accentus obseruatio. Nescimus  
 ergo, an duæ huius rei causæ omni exceptione maiores  
 sint. Ne iam dicamus, quod Vet. & N. T. tempora con-  
 fundi videantur, vtpote temporibus Iesaiæ lingua Hebræa  
 vel imprimis florebat, id quod ex ipsius stilo manifestum  
 est: Prima tamen ratio non videtur sufficiens. Quamuis  
 enim Iudæi *verum legis sensum*, quod sit *spiritualis*, Rom. IX, 32.  
 temporibus CHRISTI amiserint, tamen in eius interpreta-  
 tione desudarunt. Non oblitæ erant veræ lectionis, quod  
 etiam CHRISTVS in illis nunquam taxauit, *Iob. V, 39.* sed plus,  
 quam par erat, de legis sensu, etiam de minutissimis qui-  
 busque, disputabant. Constat hoc ex data Herodi vera  
 responsione de loco, in quo Messias esset nascendus, *Matth.*  
*II, 6.* Secundo linguam hebræam non plane neglexerant,  
 puta eam, quæ tunc temporis in vsu fuerat, quamuis non  
 negemus, quod quoque alias inter gentes didicerint, vnde  
 vel tandem permissum fuit, vt & lingua græca, si hebræa  
 non intelligeretur, in synagogis prælegeretur. b) Nunquam  
 in N. T. legimus, quod vel CHRISTVS, vel eius discipuli, do-  
 ctrinam de accentibus tradiderint, & ad populum Iudaicum  
 dixerint: *Accipe unum comma post alterum, vnam lineam post al-*  
*teram &c.* Proinde iuxta auctoris interpretationem euentus  
 prædictioni non responderet. Gratis ergo dicitur, multis  
*Judæis, Iesaiæ temporibus inflatis, doctrinam de accentibus, fasti-*  
*diosam & ad nauseam vsque notam, visam fuisse.* Quod ad Apo-  
 stoli 1. Cor. XIV, 21. allegationem attinet, illa cum interpre-  
 tatio-

a) in *Philol. S. Libr. V. Tract. I. cap. XII.*  
 b) in *Talm. Hier. Sota cap. VII.*

ratione nostra optime conspirat, vt iam non vrgeamus, quod vox  $\Psi$  a) tantum in Codice S. de *norma & regula mensoria* accipiatur.

§. XXIV.

Tria denique ex N. T. testimonia, vt *Matth. V, 17. 18. Matth. XXIII, 13. & Luc. XI, 52.* obtorto collo huc trahuntur. Nimirum conquereretur CHRISTVS locis citatis de *doctoribus scripturam auferentibus, regnum caeleste claudentibus, & clauem cognitionis auferentibus.* Id quod commodius exponi non posset, quam de punctorum & accentuum suppressione. Soluta esset scriptura inualescentibus punctis haud instructis codicibus & iuxta eos compositis *versionibus.* Sic *arbitraria fuisset exposita interpretationi, soluta a sensu regulari doctrina de accentibus.* 1.) quia alias CHRISTVS hoc ipso suos contra legis solutionem solatio erigere non potuisset. 2.) Quia cohaerentia textus idem vrgeret. 3.) Lucas c. XVI, 15. 16. 17. illud confirmaret. In hoc posteriori loco haec esset cohaerentia: quod *Pharisaei lectionem legis absque punctis pro re ardua & singularis eruditionis vendita-uerint, & hoc ipso de punctis supprimendis sategerint.* Contrarium egisset CHRISTVS, his verbis: *Prius caelum & terram peritura, quam Iota unum & unum apicem ex lege.* Notandum esset, quod *Luc. XI, 22.* in textu originali legeretur: *ὅτι ἤρασε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως,* aliis: *ἐκρύβετε abscondistis.* Clavis huius cognitionis esset antiquissima legem & Prophetas rite legendi & exponendi cognitio. Vtrumque delineasset *doctrina de accentibus,* ita vt oralis traditio excluderetur. Ast, quantum nobis hac de re constat, nouum hoc argumentum non est. Namque iam ABRAHAMVS CALOVIUS b) hunc *Matthaei* locum de punctis vocalibus & accentibus exposuit. Sed LVD. CAPELLVS c) tantum

D

de

- a) *Iob. XXXVIII, 5. Ies. XVIII, 2. 7. XLIV, 13. Ier. XXXI, 39. Thren. II, 8. II. Chron. IV, 2. Ezech. XLVII, 3. I. Reg. VII, 23. Zach. I, 16. Ies. XXXIV, 17. c. XXVIII, 17. II. Reg. XXI, 13. Ies. XXXIV, 11.*  
 b) in bibliis illustr. ad hi. l.  
 c) in arcano punctuation. libr. II. c. XIV.



de apicibus & literarum corniculis, quem HUGO GROTIUS, HAMMONDVS atque IO. CLERICVS d) vtro sequuntur. Loquitur optimus SALVATOR dicto loco de legis moralis perpetuitate, & a minori ad maius colligit. Sensus igitur est: *si ne minimum quidem de lege pereat*, sequitur, quod *omnia in lege implentur*. Inde vero non statim consequitur, quod CHRISTVS ad apices, quos Iudæi ex superstitione imponebant literis, e) respectum habuerit, sed si euictum prius est, *vocales & accentus ei*, quod diuinitus inspiratum est, anumerandos esse, sequetur simul, quod vtrumque SALVATOR heic intellexerit. Duo heic inter se opponuntur, *legem & prophetas soluere*, i. e. legis doctrinam abrogare, e medio tollere, & tandem implere. Hac ratione subiecta, quia *non pereat vnum tota, aut vnus legis apex, donec omnia fiant*, vt & v. IO. *soluere præcepta, & ea agere* inter se opposita sunt. Sic verbo *soluere* IOHANNES vtitur, cap. V, 18. vbi *sabbatum soluere* idem est, ac abrogare, e medio tollere *sabbatum*. Et sic quoque LUTHERVS f) Matthæi locum egregie interpretatus est. Itaque non soluta est scriptura S. inualescentibus punctis non instructis Codicibus, non exposita est interpretationi arbitraria. Quin immo suos SALVATOR hoc ipso consolatus est contra falso impositam sibi legis solutionem. Eo enim ipso cum illos doceret, se, vt legem impleret, in mundum venisse: non omnes solum animis illorum scrupulos exemit, sed & suos intime conuicit, se verum esse Messiam, ad quem tota se referret scriptura Canonica. Sic singulorum commatum coherentia rite se habet. Nec auctoris nostri thesis ex Luc. XVI, v. 15. 16. 17. confirmatur. Ibi enim nihil legitur, quod Pharisæi codicis sacri lectionem pro re ardua venditauerint, & puncta supprimere studuerint; sed arguit optimus SALVATOR illorum *hypocrisis, auaritiam, & superbiam*, v. 14. 15. Legem & prophetas, vt & Iohannis doctrinam laudauerat. Sed tacitam audito-

d) in Commentariis ad hunc locum.

e) in Tract. Talmud. Menachot, fol. 29. 2.

f) Tom. V. Ien. Germ.

ditorum obiectionem remouet, *tu, iniquientium, legem tollis*, asserendo: *impossibile esse quicquam de diuina lege interire v. 17.* quamuis ipsi legem falso interpretarentur, id quod doctrina de diuortio v. 18. comprobatur. Demus, quod CHRISTVS *Luc. XI, 52.* per *clauem cognitionis* antiquissimam legem & prophetas rite legendi & exponendi scientiam intellexerit, quam occultassent legis periti, *puncta & accentus* supprimendo, quomodo *Matth. XXXI, 13.* cum hoc loco conueniret? Nam contradictoria esse videntur *clauem cognitionis tollere*, & tamen *cognitionis clauem habere*. Nam aut *puncta & accentus* habuerunt, aut non habuerunt. Si habuerunt, ea non suppresserunt, si non, *clauis* alio sensu accipienda erit. Deinceps *puncta & accentus* iudaeos non excluderunt a regno coelesti, neque per ea exclusi sunt alii, *Matth. XXIII, 13. Luc. XI, 52.* Erant legis custodes, sed vera eius intelligentia fraudabant populum, optimi SALVATORIS doctrinam damnabant, & simplicioribus auctoritate sua ponebant remoram, *Ioh. VII, 48.* nec vllam facile ferebant legis interpretationem, quam ipsi non tradiderant. Hinc alios e scholis suis proscribebant, sicque cognitionis clauem abscondebant.

§. XXV.

Duo nobis (iuxta §. II.) adhuc paucis expedienda sunt, scilicet, vt coniunctim ostendamus. *Primo*, qua ratione lectionis sacrae studium discipulis reddatur difficilium. *Secundo*, quomodo nostra methodus allegorica huic inuentioni preferenda sit. Redditur nempe lectionis sacrae studium difficilium *nomibus germanicis*, a) accentibus tributis, quia hu-

D 2

iusmo-

2) Sic Silluk cum Soph Pafuk dicitur: *das Ende-Zeichen*, Atnach, *der Halbierer*, Segolta, *der Drittler*; Sakeph Katon, *der grosse Helfstentheil*, oder *das wichtige Viertheil*; Sakeph Gadol, *der Zweypunct mit einem Strichlein*; Thiphcha, *der schwache Helfstentheil*, oder *kleine Viertheil*; Sarka, *der Halb-Drittler*; Rebhia,

iusmodi nomina huic hypothefi accommodata funt, & a difcentibus non facile mandabuntur memoria. Et fi vel maxime ifta fedulo fibi imprefferint, tamen fimul addifcant nomina accentuum antiqua, vt aut aliorum libros intelligere, aut cum aliis de accentibus fermonem conferere queant. Subdubitamus enim fore, vt alii in gratiam huius artis antiqua hebræorum nomina mittant, & hifce nouiter inuentis afuefcere ftudeant. Entia vero præter neceffitatem non funt difcentibus multiplicanda, ergo nec ifta nomina germanica ftudium lectionis facræ *facilius* reddent, fed *difficilius*. Verum dicuntur, *nomina accentuum*, quæ nobis hodie adhuc funt, *ifta antiquiora non fuiffe*. Tunc temporis enim, quo Mofes & propheta vitam debebant, *reges, imperatores, duces, comites, ignoti fuiffent*. Sed demus, quod res fe ita habeat; an inde fequetur, quod noua difcentibus funt fuppeditanda. Nobis certe nouitatem arguere videntur, quicquid alii contradixerint. *Deinceps* difficilius ftudium lectionis facræ nobis reddi videtur, fi doctrina de accentibus *canone* quodam *geometrico* menfuranda eft. Nam fi vel maxime difcentes femper huiusmodi canonem ad manus

bhia, der Einpunct, oder starcke Halbierer des Zweypuncts; Paschta, der schwache Halbierer des Zweypuncts, oder das ausgehogene und allezeit auf der letzten Spitze stehende Hernlein. Jetibh, der schwache Halbierer des Zweypuncts in einzelnen Wærttern; Thebhir, der Halbierer des schwachen Helfften-Theilers, oder kleinen Viertels; Geresch, das nachste kleinste Abtheilungs-Zeichen; Tlischa Gedola, das mittlere kleinste Abtheilungs-Zeichen; Paffer, das weite oder erste kleinste Abtheilungs-Zeichen; Merca, die Verbindungs-Figur zum Endezeichen und zu dessen kleinen Viertel; Munach, die Verbindungs-Figur zum Halbierer, Drittler, grossen Viertel und Einpunct; Mahpach, die ordentliche Verbindungs-Figur zu des Zweypuncts schwachen Halbierer. Nam quid opus est huiusmodi proluxa accentuum circumscriptione, cum vox vna, vel duæ, idem melius & concinnius exprinant?



manus haberent, tamen non ulterius progredierentur, quam ut istos versus examinent, in quos apte canon ipse delineatus quadrat. Verum in reliquis semper hærebit aqua, & in accentuatione, quam dicunt metricam, isto canone prorsus destituentur, id quod haud parum lectionis sacrae studium *difficilius* reddit. Huc quoque referendum est, in hoc canone iam exactos arithmetices magistros supponi, qui *totum* perpetuo in *dimidium*, *dimidium* in *quadrantes* &c. *diuidere* nossent, idem *quadrantes*, *dimidia* & *octonas* componere. Sed quam pauci hac in re exercitati sint, quotidiana docet experientia. Ergone doctrinam de accentibus possidebant, donec Arithmetices principia rite imbiberint? Equidem vrgetur *meditatio*, sed quomodo meditabuntur tyrones, nisi prius, quam doctrinam de accentibus addiscant, *præcepta sacra hermeneutices* probe calleant. Alias enim nuda meditatio non sufficiet, nisi alia iam sensum eruendi media nouerint. Porro & in hoc difficultas haud leuis se exserit, quod *plurimum vnius domini coniunctiuorum consecutio* non ostendatur, v. gr. si accentus Paschta modo seruum *Merca*, modo *Mahpach* habet, vnde certus erit iuxta hæc præcepta tyro, quando hunc, quando illum seruum adhibeat? Ast respondebitur forte, hoc in casu *aliorum scripta in subsidium vocanda sunt*, ast hoc ipso per ambages vel tandem ad regulas nostræ methodi recurrendum erit, & lectio sacra *difficilior* reddetur. Vel ipsi perinde erit, quem ex duobus seruis adhibeat. Verum, sic alter ex hisce seruis otiose inuentus erit, quod non conceditur. Denique tyrones vix *discrimen distinctiuorum*, in hac arte characteristica constitutum, assequuntur, ut vniuscuiusque *magnitudinem & grauitatem*, vi cuius alter alterum superat, vbiuis penetrent. Verum nostra *methodus allegorica* facilitate sua se commendat. Nam sub nominibus *imperantium* ad viuum nobis repræsentantur *distinctiui* certique inter illos *ordines & respectus*. Exhibentur nobis *tabula* vtriusque consecutionis *synoptice*, tam in *prosaicis*, quam in *metricis*. Quod si ergo res sensus incurrentes magis afficiunt, sane nostra methodus illi abstractiuæ inuentioni præferenda erit.

Non minus regulæ grammaticales & syntactica hanc doctrinam faciliorem efficiunt, has enim primis imbuti linguæ hebrææ elementis applicare & iuxta eas aut *coniunctiuos* aut *distinctiuos accentus* adhibere possunt. Determinatur in nostra methodo, *quisnam ex pluribus eiusdem domini seruis adhibendus sit*, ne diu dubitent tyrones; præcipue in accentibus a priori apponendis, quemnam apponerent. Multo plura sunt, quæ heic afferri possent in medium, ad probationem nostræ thesæ. Sed cum spatio dissertationis & temporis ratione habenda excludamur, heic acquiescere malumus, DEO gratias agentes, quod nobis hæc qualiacunque meditari concefferit. Non disceptationis, sed veritatis studio, & quasi necessitate quadam adacti, hæc consignauimus, harum rerum peritis sobrium de vtraque parte iudicium relinquitur.

---



---

## COROLLARIA.

**D**Væ Constantini Magni apparitiones potuerunt esse naturales, adeoque insufficiens causa christianam religionem amplectendi.

Idem Imperator nunquam a Syluestro, Episcopo Romano, a lepra sua per baptismum liberatus est.

An fidem & assensum mereatur, quod Valerius Maximus *Lib. IV. cap. VIII.* de omnibus Græciæ urbibus, libertati restitutus, scribit: *tanta Cælum clamoris alacritate compleuerunt, ut certe conslet, aues, quæ superuolabant, attonitas, pauentesque decidisse?*

Mem-

Membra corporis humani existentiae DEI  
testes esse possunt.

*Occultam* statuere *Philosophiam* non est ab-  
surdum.

*Angelis, ut spiritibus, subtilia* tribuere *corpo-  
ra*, *saniori Philosophiæ* repugnat.

Singularissimus ignis fuerit, qui foeminæ  
cuiusdam corpus interne, non accedente ex-  
terno igne, corruerit, & in cinerem fere to-  
tum resoluerit. Vid. *noua literaria Lips. num. 62.  
p. 557. seq. anni 1734.*

Dubium est: an æstus maris ex sola virtu-  
te solis, mare fouentis, quia ventus sub æqua-  
tore ab oriente versus occidentem perpetuo  
spiraret, quod a sole esset, a quo calore solis, &  
vento inde orto, quasi ducerentur sub æqua-  
tore fulci, tuto deriuari possit?

Detur, per diametrum globi nostri ter-  
raquei effossum quendam demitti, & in cen-  
tro eius quiescet, nec in latus oppositum dela-  
bi poterit.

Punctum Mathematicum non nisi in co-  
gitante existit.

Status integritatis, status perfectæ pacis  
fuisse.

An status hominum naturalis, antequam  
in societatem coirent, bellum fuerit?

Præ-

Præcepta morum Philosophiæ gentilis, quamvis christiana cuidam viderentur, tamen a Christianorum præceptis morum, ratione principii, toto cœlo differunt.

Nisi discrimen inter mendacium & inter falsiloquium admittatur, de controuersis multis rebus nunquam recte iudicabitur.

*Qui*, est coniunctio causalis, regens coniunctiuum, ex illo Terentii: fac, qui detur tibi; ego id agam, mihi qui ne detur.

Si eloquentia sacra fiat salutaris, genuinum scripturæ sacræ sensum vnice pro scopo habeat, necesse est.

Quæ fabula & fabulosa vocis מוֹפֵת Deut. XXXIII. v. 12. expositio Ioh. Buxtorfio esse videtur, Iudæorum traditio, de Benjamin cognoscente, tribui Iudæ partem templi cessuram, quæ interiecto fune separari debuisset, ideo dolente, die toto se cruciante & funem interpositum absorbere cupiente; Megilla fol. xxvi. l. sanam admittit interpretationem. Vid. Ioma fol. xii. l.


Veteres, locum transfigurationis Christi in monte Thabor designantes, nihil absurdi tradiderunt.

\* \*  
\*

\* \*  
\*

\* \*  
\*







6 an 16 17

---

ARTEM  
HEBRAEORVM  
CHARACTERISTICAM

---

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
GVILIELMO HENRICO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAE COMITE SAYNAE  
ET WITGENSTEINII RELIQA

BENEVOLO CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRO LOCO  
MORE MAIORVM IN EO RITE OBTINENDO  
EXAMINAVIT

ET  
EXAMINATAM SISTIT  
M. IO. LEONH. RECKENBERGERVS  
RATISPONENSIS

RESPONDENTE  
IO. CHRISTOPHORO CONTAG  
RIESENVRGO-BORVSSO  
PHILOS. ET THEOL. CVLTORE.

---

A. O. R. M DCC XXXIIII. D. SEPTEMBRIS.

---

IENAE LITERIS RITTERIANIS.

